

Council of Elvira

*HUCUSQUE GALLIAE ECCLESIASTICARUM GESTARUM REGULAE DIS-
POSITAE SUNT. DEINDE SEQUITUR CONCILIUM ELIBERRITANUM DE-
CEM ET NOVEN EPISCOPORUM CONSTANTINI TEMPORIBUS GESTUM,
EODEM TEMPORE QUO NICENA SYNODUS HABITA EST.*

- 5 *I. De his, qui post baptismum idolis immolant.*
II. De sacerdotibus gentilium, qui post baptismum immolaverunt.
III. De hisdem, si idolis munus tantum dederint.
IIII. De hisdem, si caticumini adhuc immolant, quando baptizarentur.
V. Si domina per zelum ancillam occiderit.
10 *VI. Si quicumque per maleficia hominem interfecerit.*
VII. De paenitentibus moechiae, si rursus peccaverint.
VIII. De feminis, qui relictis viris suis aliis nubunt.
VIIII. De feminis, quae adulteros maritos relinquunt et aliis nubunt.
X. De derelicta caticumini, si alterum duxerit.
15 *XI. De caticumina, si graviter egrotaverit.*
XII. De mulieribus, quae lenocinium fecerint.
XIII. De virginibus deo sacratis, si adulteraverint.
XIIII. De virginibus secularibus, si moechaverint.
XV. De coniugio eorum, qui ex gentilitate veniunt.
20 *XVI. De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur.*
XVII. De eis, qui filias suas sacerdotibus gentilium coniungunt.
XVIII. De sacerdotibus et ministris, si moechaverint.
XVIIIII. De clericis negotia et nundinas sectantibus.
XX. De clericis et laicis usurariis.
25 *XXI. De his, qui tardius ad ecclesiam accedunt.*
XXII. De catholicis in heresim transeuntibus, si revertuntur.
XXIII. De temporibus ieiuniorum.
XXIIII. De his, qui in peregre baptizantur, ut ad clerum non veniant.
XXV De epistolis communicatoribus confessorum.
30 *XXVI. De hoc, ut omni sabbato ieiunetur.*
XXVII. De clericis, ut extraneam mulierem in domo non habeant.
XXVIII. De oblationibus eorum, qui non communicant.
XXVIIIII. De inerguminis, qualiter habeantur.
XXX. De his, qui post lavacrum moechaverint, ut nec subdiacones fiant.

	<i>XXXI. De adolescentibus, qui post lavacrum moechati sunt.</i>	35
	<i>XXXII. De excommunicatis presbiteris, ut in necessitate communionem dent.</i>	
	<i>XXXIII. De episcopis et ministris, ut ab uxoribus abstineant.</i>	
	<i>XXXIII. Ne cerei in cymiteriis incendantur.</i>	
	<i>XXXV. Ne femine in cymiteriis pervigilent.</i>	
	<i>XXXVI. Ne picturae in ecclesia fiant.</i>	40
	<i>XXXVII. De inerguminis non baptizandis.</i>	
	<i>XXXVIII. Ut in necessitate et fideles baptizent.</i>	
	<i>XXXVIII. De gentibus, si in discrimine baptizari expetunt.</i>	
	<i>XL. Ne de hoc, quod idolotitum est, fideles accipiant.</i>	
	<i>XLI. Ut prohibeant domini idola colere servis.</i>	45
	<i>XLII. De his, qui ad fidem veniunt, quando baptizentur.</i>	
	<i>XLIII. De celebratione Pentecosten.</i>	
	<i>XLIII. De meretricibus paganis, si convertantur.</i>	
	<i>XLV. De caticuminis, qui ecclesiam non frequentant.</i>	
	<i>XLVI. De fidelibus, si apostataverint quamdiu paeniteant.</i>	50
	<i>XLVII. De eo, qui uxorem habet, si saepius moechatur.</i>	
	<i>XLVIII. De baptizandis, ut nihil accipiant clerici.</i>	
	<i>XLVIII. De frugibus fidelium, ne a Iudaeis benedicantur.</i>	
	<i>L. De christianis, qui cum Iudaeis vescuntur.</i>	
	<i>LI. De hereticis, ut a clero non promoveantur.</i>	55
124r	<i>LII. De his, qui in ecclesia libellos famosos ponunt.</i>	
	<i>LIII. De episcopis, qui excommunicato alieno non communicant.</i>	
	<i>LIII. De parentibus, qui fidem sponsaliorum frangunt.</i>	
	<i>LV. De sacerdotibus gentilium, qui iam non sacrificant.</i>	
	<i>LVI. De magistratibus et dominantibus.</i>	60
	<i>LVII. De his, qui vestimenta ad ornandam pompam dederunt.</i>	
	<i>LVIII. De his, qui communicatorias litteras portant, ut fide interrogentur.</i>	
	<i>LVIII. De fidelibus, ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant.</i>	
	<i>LX. De his, qui destruentes idola occiduntur.</i>	
	<i>LXI. De his, qui duabus sororibus copulantur.</i>	65
	<i>LXII. De auguriis et pantomiis, si convertantur.</i>	

LXIII. *De uxoribus, qui filios de adulterio necant.*

LXIII. *De feminis, quae usque ad mortem cum alienis viris adulterant.*

LXV. *De adulteris uxoribus clericorum.*

70 LXVI. *De his, qui privignas suas ducunt.*

LXVII. *De coniugio caticuminae feminae.*

LXVIII. *De caticumina adultera, quae filium necat.*

LXVIII. *De viris coniugatis postea in adulterio lapsis.*

LXX. *De feminis, quae consciis maritis adulterant.*

75 LXXI. *De stupratoribus puerorum.*

LXXII. *De viduis maechis, si eundem postea maritum duxerint.*

LXXIII. *De dilatoribus.*

LXXIII. *De falsis testibus.*

LXXV. *De his, qui sacerdotes accusant, nec probant.*

80 LXXVI. *De diaconibus, si ante honorem peccasse probentur.*

LXXVII. *De baptizatis, qui nondum confirmati moriuntur.*

LXXVIII. *De fidelibus coniugatis, si cum Iudea vel gentili maechaverint.*

LXXVIII. *De his, qui tabula ludunt.*

LXXX. *De libertis.*

85 LXXXI. *De feminarum epistolis.*

CUM CONVENISSENT SANCTI ET RELIGIOSI episcopi in ecclesia Eliberritina, hoc est Felix episcopus Aequitanus, Consciis episcopus Cordobensis, Savi-
 nus episcopus Spalensis, Camerinus episcopus Tacitanus, Sinagius episcopus
 Pegrensis, Secundinus episcopus Catalensis, Pardus episcopus Memtsasanus,
 90 Flavianus episcopus Eliberritanus, Cantonius episcopus Corsitanus, Liberius
 episcopus Meritanus, Valerius episcopus Caesaragustanus, Decentius episcopus
 Legionensis, Melantius episcopus Toletanus, Ianuarius episcopus de Fiblaria,
 Vincentius episcopus Ossonobensis, Quintianus episcopus Elborensis, Successus
 episcopus de Elicroca, Euticianus episcopus Bastitanus, Patricius episcopus Ma-
 95 lacitanus, resedentibus etiam triginta sex presbiteris adstantibus diaconibus et
 omni plebe, universi episcopi dixerunt:

I. *Placuit, ut quicumque post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad temp-
 lum idoli idolaturus accesserit, et fecerit quod est crimen principale, nec in finem
 eum ad communionem suscipere.*

100 II. *Flamines, qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverint, eo quod
 geminaverint scelera accedente homicidio, vel triplicaverint facinus coherente
 moechia, placuit eos nec in finem accipere communionem.*

67 qui] read quae 85–86 Eliberritina] corrected from Elibertina 86–94 Aequitanus ... Malacitanus]
 Peculiarities in the spelling of these names are not noted in the typeface. 87 Aequitanus] corrected
 from Aequitanus 89 Secundinus] corrected from Secundus Dinus 98 idolaturus] corrected from
 idolatorus

III. *Item flamines, qui non immolaverunt sed munus tantum dederunt, eo quod se a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in finem eis prestare communionem acta tamen legitima paenitentia. Item ipsi, si post paenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne lusisse de dominica communionem videatur.* 105

III. *Item flamines, si fuerint caticumini et se a sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.*

V. *Si qua femina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit, si voluntate, post septem annos; si casu, per quinque annorum tempora acta legitima paenitentia ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiant communionem.* 110

VI. *Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idolatria perficere scelus non potuit, nec in finem inperciendam esse illi communionem.* 115

VII. *Si quis forte fidelis post lapsum moechiae post tempora constituta acta paenitentia denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in finem habere communionem.*

VIII. *Item feminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in finem accipiant communionem.* 120

VIII. *Item fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem quam is, qui reliquerit, de saeculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.* 125

X. *Si ea, quam caticuminus relinquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti; hoc et circa feminas caticuminas erit observandum. Quod si fuerit, quae ducitur, ab eo, qui uxorem inculpatam relinquit, et cum scierit illum ab uxore, quam sine causa reliquit, placuit in finem huiusmodi dare communionem.*

124v XI. *Intra quinquennii autem tempora caticumina, si graviter fuerit infirmata, addendum ei baptismum placuit non denegari.* 130

XII. *Mater vel parens vel quaelibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit eam nec in fine accipere communionem.*

XIII. *Virgines, qui se deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini servierint, non intellegentes quod amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semet persuaserint, quod infirmitate corporis lapsae fuerint, etiam tempore vitae suae huiusmodi feminae egerint paenitentiam et abstinerint se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in finem communionem accipere debere.* 135
140

XIII. *Virgines, quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine paenitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo*

116 inperciendam] corrected, almost certainly from in percipiendam 124 qui] read quem 127–128 et ... reliquit] added in margin 127–128 ab uxore] read habere uxorem 129 in finem] read nec in finem 131 addendum] read dandum 135 qui] read quae 136 quod] read quid 136–137 semet ... etiam] read semel persuasae, aut infirmi corporis lapsu vitatae, omni

145 *quod moechatae sint, placuit per quinquennii tempora acta legitima paenitentia
admitti eas ad communionem.*

*XV. Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandae sunt
virgines christianae, ne aetas in flore tumens in adulterio animae resolvatur.*

150 *XVI. Hereticis, qui errant ab ecclesia catholica, nec ipsis catholicas esse dan-
das puellas, sed neque Iudaeis, neque hereticis dare placuit, eo quod nulla possit
esse societas fideli cum infidele. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere
per quinquennium placet.*

*XVII. Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in
finem eis dandam esse communionem.*

155 *XVIII. Episcopi, presbiteri, diacones, si in ministerio positi detecti fuerint,
quod sint moechati, placuit et propter scandalum et propter infandum crimen nec
in finem eos communionem accipere debere.*

160 *XVIII. Episcopi, presbiteri, et diaconi de locis suis negotiandi causa non dis-
cedant, nec circumeuntes provincias questuosas nundinas; sane ad victum sibi
conquirendum, aut filium aut libertum aut mercennarium aut amicum aut quemli-
bet mittant; et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.*

*XX. Si quis clericorum deditus fuerit usuras accipere, placuit degradari et
abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, et promiserit correptus
iam cessaturum nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si vero in ea
iniquitate duraverit, ab ecclesia sciat se esse prociendum.*

165 *XXI. Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit,
paucis tempore abstineatur, ut correptus esse videatur.*

170 *XXII. Si quis de catholica ecclesia ad heresim transitum fecerit, rursusque ad
ecclesiam recurrerit, placuit huic paenitentiam non esse denegandam, eo quod
cognoverit peccatum suum; qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post
decem annis praestari communio debet. Si vero infantes fuerint transducti, quod
non suo vitio peccaverunt, incunctanter recipi debeant.*

*XXIII. Ieiunii super abstinentias per singulos menses placuit celebrari, excep-
tis diebus duorum mensuum Iulio et Augusto ob eorundem infirmitatem.*

175 *XXIII. Omnes, qui in peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit
cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.*

*XXV. Omnis, qui attulerit litteras confessorias sublato nomine confessoris, eo
quod sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoriae ei
dandae sunt litterae.*

180 *XXVI. Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die ieiunium superpositionem
celebremus.*

*XXVII. Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem
dicatam deo tantum secum habeat extraneam vero nequaquam habere placuit.*

*XXVIII. Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non
debere.*

- XXVIII. *Inerguminum, qui ab erratico spiritu exagitur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret.* 185
- XXX. *Subdiaconem eum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit moechatus, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus. Si autem aliqui sunt in pareteritum ordinati, amoveantur.* 190
- XXXI. *Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint moechati, cum duxerint uxores acta legitima paenitentia, placuit ad communionem eos admitti.*
- XXXII. *Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere paenitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat. Cogente tamen infirmitate nec est presbyterorum aut diaconorum communionem talibus prestare debere, nisi eis iusserit episcopus.* 195
- 125r XXXIII. *Placuit in totum prohibere episcopis, presbiteris et diaconibus ac subdiaconibus positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis et non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*
- XXXIII. *Cereos per diem placuit in cymiterio non incendi; inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communionem.* 200
- XXXV. *Placuit prohiberi ne femine in cymiterio pervigilent, eo quod saepae sub obtentu orationis latenter scelera committant.*
- XXXVI. *Placuit picturas in ecclesia esse non debere; nec quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* 205
- XXXVII. *Eos, qui ab spiritibus inmundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. Si vero fideles fuerint, dandam eis esse communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas publice accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineantur a communionem.* 210
- XXXVIII. *Peregre navigantes aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum caticuminum, ita ut si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus inpositionem perfici possit.*
- XXXVIII. *Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus inponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum inponi et fieri christianos.* 215
- XL. *Prohibere placuit ut, cum rationes suas accipiunt possessores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non inferant. Si vero post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporis a communionem esse arcendos.*
- XLI. *Admonere placuit fideles, ut quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si vero vim metuunt servorum, vel se ipsos puros conservent; si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.* 220
- XLII. *Eos, qui ad primam fidem credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium temporis placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio vel sotio subvenire pereclitanti vel gratiam postulanti.* 225

XLIII. Parvam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus; quod qui non fecerit, quasi novem heresem induxisse notetur.

230 *XLIII. Meretrix quae aliquando fuerit, et postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.*

XLV. Qui aliquando fuerit caticuminus, et per infinita tempora numquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisquam agnoverit voluisse esse christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod
235 *in vetere homine deliquisse videatur.*

XLVI. Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idolator, post decem annos placuit eum communionem accipere.

XLVII. Si quis fidelis habens uxorem non semel sed saepe fuerit moechatus, in
240 *finem mortis est conveniendus; quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus fuerit moechatus, placuit ulterius non ludere eum de communionem pacis.*

XLVIII. Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concam non mittant, ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur;
245 *neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel clericis.*

XLVIII. Admonere placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos a deo percipiunt cum gratiarum actione, a Iudaeis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abiciatur.

250 *L. Si vero aliquis clericus sive fidelis fuerit, qui cum Iudaeis cibum sumpserit, placuit eum a communionem abstinere, ut debeat emendari.*

LI. Ex omni heresi, si qui ad nos fidelis venerit, minime est ad clerum promovendus. Vel si qui sunt in praeteritum ordinati, sine dubio deponantur.

LII. Hi, qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.
255

LIII. Placuit cunctis, ut ab eo episcopo, quis recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo quis fuerit. Quod si alius episcopus presumpserit eum admitti illo adhuc minime faciente vel consentiente, a quo fuerat communionem privatus, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo praestaturum.
260

LIII. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstinant se a communionem. Si tamen idem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint depraehensi, excusati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio et polluerunt se consentiendo, superior sententia servetur.

265 *LV. Sacerdotes, qui tantum coronam sacrificantes portant, nec sacrificant nec de suis sumptibus aliquid idolis prestant, placuit post biennium accipere communionem.*

233 agnoverit] corrected from ignoverit
sacrificantes] read tantum coronas

238 communionem] read communionem

265 tantum ...

- 125v LVI. Magistratus vero anno, quod agit duumviratum, prohibendum placet, ut se ab ecclesia cohibeat.
- LVII. Matronae vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam saeculariter pompam non dent; et si fecerint, triennii tempore abstineantur. 270
- LVIII. Placuit ubicumque et maxime in eo loco, in quo primae cathedrae constitutus est episcopus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recta habeant et suo testimonio comprobent.
- LVIII. Prohibendum ne quis christianus aut gentilis ad idolum capitolii causa sacrificandi ascendat et videat. Quod si fecerit pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos acta paenitentia recipiatur. 275
- LX. Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quia in evangelio scriptum non est, neque invenitur sub apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum. 280
- LXI. Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit, et ipsa sit fidelis, quinquennio a communione placuit abstineri, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.
- LXII. Si augur aut pantomimus credere voluerint, placuit ut prius artibus suis renuntient, et tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius non revertantur. Quod si facere contra interdictum temptaverint, proiciantur ab ecclesia. 285
- LXIII. Si qua mulier per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in finem dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.
- LXIII. Si qua mulier usque in finem mortis suae cum alieno viro fuerit maechata, placuit nec in finem dandam esse communionem. Si vero eam reliquerit, post decem annos recipi ad communionem acta legitima paenitentia. 290
- LXV. Si cuius clerici uxor fuerit maechata, et sciat eam maritus suus maechari, et eam non statim proiecerit, nec in finem accipiat communionem, ne ab his, qui exemplum bonae conversationis esse debent, videantur scelerum magisteria procedere. 295
- LXVI. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem.
- LXVII. Prohibendum ne qua fidelis vel caticumina aut comicos aut viros scenicos habeant. Quaecumque hoc fecerit a communione arceatur. 300
- LXVIII. Caticumina, si per adulterium conceperit et conceptum necaverit, placuit eam in fine baptizari.
- LXVIII. Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennio agere debere paenitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc et circa feminas observandum. 305

268 quod] read quo 274 recta] read recte 275 aut] read ut 279 eum] e**um: a correction perhaps from earum (?) 284 augur] corrected from auguria; read auriga 286 temptaverint] corrected from temptaverit 290 fuerit] fuerit mulier before correction (mulier expunged) 291 eam] read eum 298–299 comicos ... scenicos] read comatos...cinerarios

LXX. Si conscio marito fuerit moechata uxor, placuit nec in finem dandam ei communionem. Si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam cum scierit adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit.

LXXI. Stupratoribus puerorum nec in finem dandam esse communionem.

310 LXXII. Si qua vidua fuerit moechata, et eundem postea habuerit maritum, post
quinquennii tempus acta legitima paenitentia placuit eam communionem reconcili-
ari. Si alium duxerit relicto illo, nec in finem dandam ei esse communionem. Vel
si fuerit ille fidelis quem acceperit, communionem non accipiat nisi post decem
315 annos acta legitima paenitentia, nisi infirmitas coegerit velocius dare communi-
onem.

LXXIII. Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem eius aliquis fuerit
praescriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si
levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si caticu-
minus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.

320 LXXIII. Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur. Si tamen non fuerit mor-
tis, quod obiecit, et si probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur.
Si autem non probaverit in conventu clericorum, placuit per quinquennium absti-
neri.

LXXV. Si quis autem episcopum, presbiterum vel diaconum falsis criminibus
325 appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.

LXXVI. Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit detectus in
crimine mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit
eum acta legitima paenitentia post triennium accipere communionem. Quod si
alius detexerit, post quinquennium acta paenitentia accipere communionem lai-
330 cam debere.

LXXVII. Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbitero aliquos
baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debet. Quod si ante de
saeculo recesserit, sub fide, qua quis credidit, poterit esse iustus.

LXXVIII. Si quis fidelis habens uxorem cum Iudaea vel gentili fuerit moecha-
335 tus, a communionem arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta
legitima paenitentia poterit dominicae sociari communioni.

126r

LXXVIII. Si quis fidelis alea, id est tabula, luserit, placuit eum abstineri; et si
emendatus cessaverit, post annum potuit communionem reconciliari.

LXXX. Prohibendum, ut liberti quorum patroni in saeculo fuerint, ad clerum
340 non prohibeantur.

LXXXI. Ne feminae suo potius absque maritorum nominibus laicis scribere
audeant, qui fideles sunt, vel litteras alicuius pacificas ad suum solum nomen
scriptas accipiant.

312 relicto] corrected from recto 322 in] added above line 329 detexerit] corrected from
duxerit 334 gentili] corrected from gentile 335 detexerit] corrected from duxerit 340 prohibeantur]
later hand corrects to promoveantur 341 maritorum] corrected from manitorum 342 qui] read quae